

F. 11. 11

DIVINI
PLATONIS
OPERA OMNIA
MARSILIO FICINO
INTERPRETE.

Recenseditio, summo studio, & diligentia à vitis emaculata, & ad exemplar Græcum fideliter collata.

His accesserunt sex Platonis dialogi, nuper à Sebastiano Conrado tralati, neque unquam adhuc in hoc volumen recepti.



LVGDVN I,
APVD NATHANAELEM VINCENTIVM

M. D. LXXXVIII.

Cum priuilegio.

CATALOGVS LIBRORVM PLATO-
NIS A MARSILIO FICINO FLOREN-
tino traductorum: Item que insunt partim argumen-
ta, partim commentaria, per eundem
Marsilium in libros eosdem
composita.

1	Hipparchus de lucri cupiditate	Fol. 1
2	De philosophia seu amatores	3
3	Theages de sapientia	6
4	Meno de virtute	9
5	Alcibiades primus de natura hominis	19
6	Alcibiades secundus de voto	30
7	Mimos de lege	34
8	Eutyphro de sanctitate	37
9	Parmenides de vno rerum principio	42
10	Philebus de summo hominis bono	57
11	Hippias maior de pulchro	74
12	Lyfis de amicitia	83
13	Theætetus de scientia	90
14	Io de furore poetico	116
15	Sophista de ente	121
16	Ciuilis de regno	137
17	Protagoras contra sophistas	155
18	Euthydemus siue litigiosus	173
19	Hippias minor de mendacio	186
20	Charmides de temperantia	190
21	Laches de fortitudine	199
22	Clitophro exhortatorius	207
23	Cratylus de recta nominum ratione	209
24	Gorgias de Rhetorica	229
25	Conuiuium Platonis de amore	257
26	Phædrus de pulchro	299
27	Apologia Socratis	317
28	Crito de eo quod est agendum	327
29	Phædo de anima	331
30	Menexenus, funebris oratio	354
31	Libri decem de republica	360
32	Timeus de generatione mundi	456
33	Critias de Atlantico bello	497
34	Libri xij. de legibus	503
35	Epinomis, id est, legum appendix, vel philosophus	616
36	Epistolę duodecim Platonis	623
	Epistola decimatertia recens conuersa	
37	Axióchus Rodolpho Agricola interprete Platonis sex dialogi huic editioni adiuncti.	643



SIMON GRYNÆVS
CANDIDO LECTORI
SALVTEM.

PROBARE vehementer studium conatusque & pietatem Marsilij so-
leo, viri meo quidem videre optimi, qui vt philosophiam nobis vete-
rem gustandam præberet patefaceretque, cum vires suas non ignoraret,
nihil curauit de nomine & fama sua quid fieret, modò studij & verita-
ti consulere bene: cum qui propter vtilitatem publicam ingenio cede-
re velit, nullus facile reperiatur. Itaque magnam gratiam manibus viri
debemus ob egregia merita. Ac dolet mihi quidem, deliciis literarum inescaros subito
iam homines adeo esse, præsertim qui Christianos se profitentur, vt legere nisi quod ad
gulam facit, sustineant nihil, vnde & disciplinę & philosophia ipsa iam ferè profus e-
tiam à doctis negliguntur. Quod quidem propositum studiorum nisi maturè corrigatur,
tam magnum rebus incommodum dabit, quam dedit barbaries olim. Pertinax res bar-
baries est, fateor, sed minus potest tamen quam illa persuasa prudentia literarum, si ra-
tione caret, sapientię virtutisque specie mortales circunducens. Nihil enim perniciosius
est, quam cum rerum & verborum studia diuiduntur. Succedet igitur, vt arbitror, haud
ita multo post, pro rusticana seculi nostri ruditate, captatrix illa blandiloquentia, robur
animi virilis omne, omnem virtutem masculam profligatura, nisi cauetur. Itaque mihi
libuit, eodem quo egregius ille vir, consilio, translatione ipsius cum exemplari Græco di-
ligenter collata, & pro virili nostra, mendis omnibus iam recens per nos repurgata, Pla-
tonis philosophiam quam latissimè, quantum id per me quidem fieri potest, propagare.
Nam vt iam olim, cum Græcia Sophistis, vanissimo genere hominum scateret, præstigijs
verborum præcipuos mortalium passim vbique ad se trahente, lingua spiritûque venali
opes sibi constante, & sapientię nomen turpiter sibi vendicante, Socratis & Platonis gra-
uissimis disputationibus breui effectum est, vt inanissimi homines innotescerent orbi:
sic puto solida earundem disputationum vi pullulanti malo tempestiuè occurreret.
Vale Lector, & philosophare feliciter.

MARS



MARSILII FICINI FLORENTINI
IN LIBROS PLATONIS AD
LAURENTIUM MEDICEM, VIRVM
MAGNANIMUM,
PROOEMIUM.



DIVINA providentia, fortiter attingens omnia, suavitique disponens, magnanime Laurenti, statuit, religionem sanctam non solum Prophetis & Sibyllis, sacrisque armare doctoribus, verum etiam via quadam, elegantiq; philosophia singulartiter exornare: ut ipsa pietas omnium origo honorum, tam secura tandem inter omnes sapientie & eloquentie professores incidere, quam tata penes domesticos conque scit. Oportebat enim religionem (que unica est ad felicitatem via) non rudioribus tantum hominibus, verum etiam peritioribus committere fore. Qua quidem duce omnes ad beatitudinem, cuius gratia nati sumus, & ad quam consequendam communi studio laboramus, facilius transitus, pervenire possumus. Itaque Deus omnipotens, statuit temporibus divinum Platonis animum ab alto demisit, vita, ingenio, eloquioq; mirabili, religionem sanctam apud omnes gentes illustravit. Cum vero ad hanc usque secula sol Platonici nondum palam Latinis gentibus oriretur, Cosmus Italiae decus, & insignis pietate vir, Platoniam lucem, religioni admodum salutarem, a Graecis ad Latinos propagare contendens, me potissimum intra suos lares plurimum educatum, tanto operi destinavit. Ego autem, etsi a tenera etate nominis Platonici cultor, rem tamen adeo gravem, non meis quidem, sed aui tui Cosmi prosperis auspiciis sum aggressus, sperans divinam operam tam necessario, tamq; pio officio non deserturam. Hac ergo in primis spe ductus, Academiam sum ingressus, decemq; ex ea Platonis nostri dialogos, Cosmo prius quam natura concederet, Latinos feci. Post eius obitum patri tuo Petro praeslantissimo viro, dialogos novem legendos dedi. Postquam vero Petrus de vita decessit, fortuna praeclearis saepe operibus invida, inuitum me a translationis officio distrahebat. Verum tu & religionis cultor, & philosophiae patronus, me ad incertum omni favore & auxilio renovasti. Quamobrem ad institutionem minus felicibus iterum auspiciis sum regressus: neque traduci tantum, verum etiam partim argumentis mentem perstrinxi Platoniam, partim quo ad potui brevibus commentariis explicavi. Opus itaque totum diuino auxilio iam absolutum tibi libentissime dedico. Ad quem illa etiam quae maioribus tuis inscripta sunt, iure hereditario pertinent, virum profecto auitae paternaeque in patria colenda virtutis heredem. Leges autem inter dialogos sinebretem Platonis orationem pro fratri tuo Iuliano dicatam. Praeterea ubi ad librum de Regno perveneris, videbis Fredericum Urbem ducem eo die a me honoratum, quo ipse tuas aedes honorifice salutavit. Non solum vero septem atque triginta libri, qui solo tuo insigni sunt titulo, sed cuncti denique tui sunt: quandoquidem omnes tui gratia sunt absoluti, atque ego sum tuus. Neque vero me Platoniam in his libris stylium omnino expressisse profiteor, neque rursus ab illo, quamvis admodum doctore, nunquam exprimi posse confido. Stylium inquam non tam humano eloquio, quam diuino oraculo similem, saepe quidem tonantem altius, saepe vero neclatarea suavitare manantem, semper autem arcana caelestia complectentem. Profecto quem admodum mundus tribus est munitus, utilitate, ordine, ornamento, atque ex his divinum nobis testatur artificem: ita Platoniam stylium continens uniuersum, tribus potissimum abundant muneribus, philosophica sententiarum utilitate, oratorio dispositionis eloquentisque ordine, florum ornamento poeticorum, & ubique tum diuinis virtutibus, tum etiam certissimum de architecto mundi Deo perhibet testimonium. Valeant igitur, magnanime Laurenti, valeant procul omnes, qui minus sumas erudienda pueritiae a Platone rationes efflagitant. Erudiant alij rudiores, & eruditi denique fores Platonias adeant, inde non tam puerilia rudimenta, quam diuina mysteria tandem reportaturi. Dixi modo Laurenti tandem. Nam Plato noster antequam diuina fundat oracula, ne sacra prophana, com-

nis communi fiat, audientiam animos triplici paulatim ad summum calle perducit, purgatione, resolutione, conversione. Quamobrem multa legentur apud Platonem, ad purgandos perturbacionibus animos pertinentia. Plura rursus ad sollicitas mentes a sensibus. Plurima etiam ad conuertendas, tum in seipsas, tum in Deum omnium auctorem, in quem veluti solem rite conuerse, optatis inde veritatis radiis feliciter illustrantur. Inter ea Plato noster, dum occultis saepe modis humano generi necessarium tractat officium, interdum iocari videtur & ludere. Verum Platonici ludi atq; ioci multo grauiores sunt quam seria Stoicorum. Neque enim per humiliora quaedam dedignatur alicubi peruagari, modo sensim auditores captans humiliores facilius ad excessa perducit. Misceat frequenter grauissimo quodam consilio vitia dulcibus, quo modestis sermonis blandi leporibus animos natura priores ad voluptatem, per ipsam voluptatis escam ad cibum allicit salutarem. Fingit & saepe fabulas more poeticos, quippe quom ipse Platonis stylium, non tam philosophicum, quam reuera poeticum videatur. Fuit enim interdum atque vagatur, ut vates, & ordinem interea non humanum seruat, sed fatidicum & diuinum, neque tam docentis personam agit, quam sacerdotis causam atque raris partium quidem furentis, partim vero ceteros expiantis, & in diuinum furorem similiter rapientis. Fabulis vero inter haec ob id potissimum ut videtur, ut inter varios Academiae flores oblectentur quidem omnes, sed expiati duntaxat poma decerpant, & cantum suauis facilius cocoquant, perfectius nutriantur. Agit autem dialogos omnia: ut sermo viuens personas loquentes ante oculos ponat, persuadeat efficacius, & moueat vehementius. Accedit ad haec, quod amicos (ut par est) oportunitate dialogis suis honestat, facilius multos posteritati commendans. Praeterea opinioniones eadem de re diuersae commodius dialogo recensentur. Mitto quod dialogos mira quadam varietate delectat, & attentione audientes detinet & legentes. Verum quidam longius per minutiora quaedam & humiliora digredimur? Sophia, magnanime Laurenti, quae solo Iouis capite nata, ab initio cum eo erat cuncta componens: patrem imitans, ipsa quoque filiam solo capite peperit, Philosophiam nomine, cuius delitescere, esse cum filijs hominum. Hanc igitur in terra quondam per varias gentes peregrinantiem excellentiora passim admirabantur ingenia. Quorum in numero Plato noster non solum admiratus est illam: sed & primus & solus ad summum excoluit. Huic enim ille primus tanquam sacrae sacerdotia cuncta tempora nutra: praeterea pepulum induit, quod Augustam filiam Mineruae deceret: caput etiam manisque & pedes suauiter redolentibus illinuit unguentis. Denique solum ipsam quacunque philosophicum nomen incederet, varijs a se ipsi floribus, & ornauit. Talis erat, atque etiam est huius diuae intra limites Academiae decambulantibus habitus, talis ornatus. Quoties vero extra hortos Academicos peruagatur, non solum unguenta semper amittit & flores, sed etiam, pro nefas, saepe incidit in latrones, atque amissis sacerdotij & grauitatis insignibus, nuda passim, & quasi prophana pererrat, adeoque deformis apparet, ut neque Phaedro ulterius Mercurioque suis familiaribus placeat: neque insuper vel aui suo Ioui, vel Mineruae matri probetur. Ceterum statim materno consilio intra parietes & hortos Academiae sese recipiens, antiquum resuinit decus: & ibi velut in patria libentissime requiescit. Quamobrem inuait una tecum Platoniam Laurenti, omnes tum discendi, tam bene viuendi cupidus, ad Academiam Platoniam cohortari. Hic enim iuuenes vel inter iocandum praecipua morum, vel inter ludendum industriam differendi iucunde admodum & facile consequuntur. Hic viri etiam rei tum familiaris, tam publicae disciplinae abunde perdiscent. Hic senes pro mortali vita, vitam sperabunt aeternam. In Academiae hortis poetae sub lauris canentem Apollinem audiunt. In vestibulo Academiae oratores spectabunt Mercurium declamantem. In porticu vero, & aula iurisperiti ciuitatumque gubernatores, Iouem ipsum auscultabunt sancientem leges, iura declamantem, imperia gubernantem. In ipsis denique penetralibus, philosophi Saturnum suum agnoscent, caelestium arcanorum contemplatorem. Vbiq; vero sacerdotes religionumque sacrarum antistites arma reperient, quibus pietatem aduersus impios strenue protegant. Huc igitur, huc precor, omnes accedite, qui liberales colitis disciplinas, hic eas, & libertatem vite pariter adepturi: huc denique cuncti concurrite, quos assequende veritatis, & consequende beatitudinis perpetuus ardor inflammat: hic aspiciente Deo, veritatem ad votum, & felicitatem consequuntur. Verum interim admonendi estis, ne temere de rebus Platonis, imo vero diuinis, feratis sententiam: sed longo & aequo examine iudicetis, neque luadam in eos censuram exerceatis, qui procul ab omni luore vobis vigilent & laborant. Imo vero fauete libenter auctori pio, fauete etiam traductori, non solum translatione verborum, sed explicatione sententiarum communium omnium utilitati pro vrbibus consulenti. Nolite precor antiquam salutemque doctrinam, heu iamdiu nimis oppressam, nuper autem in lucem diuina providentia prodeuntem, insequi crudeliter & opprimere, ne forte quam Deus omnipotens vult vobis viuam, mortalis homo frustra perditam velit. Dextera enim domi-

ni fecit virtutem, dextera domini iam exaltauit eam: non morietur, sed uiuet, & narrabit opera Domini.

Sed quoniam, optime Laurenti, nos ingens in Platonem ac nesciens tenere modum, raptauit amor? Num in Platonis causa declamauimus, oratoriam facundiam principis? Satis enim superque ipse pro sua causa declamauerit, apud eos presertim qui periclitantibus uacuis, equos se praestiterint auditores. Te uero in praesentia minime adhortabor, mirum in modum ad haec omnia uoluntate propensum, ingenio promptum studio eruditum. Sed optabo duntaxat, ut & legas feliciter, & felicissimè uiuas, Marsily tui memor. Dum uero Marsilium Ficinum nomino, Philippum quoque Valorem Academicum nostrum intellige pariter nominatum. Nam si Valer atque Marsilius in Platone defendendo, & in te amando idem sunt, proculdubio inter se quoque sunt idem, Valorem tibi Laurenti, singularis sua uirtus probat, Platonis honor laudat, incredibilis in te amor ualde commendat.

PLA-



Platonis uita.

PLATONIS VITA, AVTORE MARSILIO

VICINQVE PRIMO GE-
NEALOGIA ET
GENESIS.

PLATO Atheniensis, Aristonis & Perictionis, siue Potonae filius, à Neptuno genus utrinque ducit. Nam Solon à Neptuno & Neptuno descendit. Solonis uero frater Dropides Critiam maiorem genuit à quo Calaxerus ortus duos habuit filios, Critiam scilicet minorem, qui vnus ex triginta Athenarum gubernatoribus fuit, atque Glauconem Charmidis & Perictionem patrem. Perictione uero Aristoni nupta, Platonem peperit & Adimantum & Glauconem. Feminam quoque Potonam: quae Euryedonti nupta, peperit Speusippum. Rursus Aristonem Platonis pater à Codro filio Melanti descendit, qui iterum in Neptunum sicut & Solon originem referunt. Ferunt Athenis celebre esse, Aristonem Perictionae, cum esset speciosissima, congreddi conatum esse. Verum fuisse illius conatus irritos, uisidisseque in somnis Apollinem, atque ab eo iussum mandam à coniugali copula quo ad pareret, seruauisse. Quod & Laertius & Polycrates scribunt. Nascitur Athenis uel in Aegina à Troie captiuitate anno septingentesimo quinquagesimo sexto: ab urbe condita recentissimo tertio: ante Christi aduentum quadringentesimo uigesimo tertio. Platonis generum qualem adolescens audieram, in libro de Amore significari: sed nunc adducam qualem Iulius Firmicus Altronomus describit. Cuius opinionem hac in re existimo ueriores. Est autem eiusmodi: In ascendente Aquario Mars, Mercurius, Venus. In secunda, Sol in Piscibus. In quinta, Luna in Geminis. In septima, Iupiter in Leone. In nona, Saturnus in Libra. Hanc generum Iulius Firmicus asserit significare uirum, qui mirabili eloquentia polleat, eccelsitque ingenio ad omnia secreta diuinitatis accedat.

*Educatio, imdoles, eruditio, sobrietas
Platonis.*

Fertur, cum in cunis esset, labiis infantis apes mel infudisse, eloquentiae figuram praefigium. Atque Socratem uidisse per somnium oloris pulchrum sibi in gremio plumescere, qui continuo exortis pennis, expansis alis in altum euolans, suauissimos cantus ediderit. Postridie quum a patre sibi Plato commendatus esset, hunc esse cygnum quem uiderat dixisse. Poetico stylo in adolescentia floruit. Elegias composuit, & tragedias duas, quas & ipse igni dedit, cum primum animum ad philosophiam applicuisset. Primis literis à Dionysio praereptore imbutus est, deinde Socratem audiuit uigintiimum annum aetatis agens. Post Socratis mortem Cratylo Heracliti discipulo, & Hermodeni Parmenidis philosophiam tuenti sese accommodauit. Cum esset annorum duodeviginti, Megaram se ad Euclidem cum aliis Socraticis

contulit. Hinc Cyrenen profectus, Theodorum mathematicum audiuit, atque inde in Italiam ad Pythagoras Philolaum & Architam Tarentinum Eurytumque concessit. Ab his in Aegyptum ad Indophetas & sacerdotem se recipit. Deceuerat ad Indos Magosque progredi: uerum propter Asiae bella à proposito destitit. Regressus demum Athenas, in Academia vitam duxit: quem insalubrem Atticae locum dicitur elegerit, quod etiam diuus Bassilius & Hieronymus comprobant, ut nimis bonus corporis habitus ceu uitis nimia luxuries amputaretur. Erat enim & speciosissimus & robustissimus corporis habitu. Unde & à latis humeris, ampla fronte, & egregio totius corporis habitu orationisque ueritate, Plato est nuncupatus: cum ante nominatus fuisset Aristocles. Nihil in eo deformis, nisi forte uox aliquantulum gracilis, & nescio quid sub ceruice gibbosum eum aliquantulum deformabat. Ob Academiae habitationem passus est quartanam febrem mensis decem atque octo: sed sobrietate & diligentia sua uires post febrem validiores quam ante recuperauit.

Militia & nauigatio Platonis trina.

Militauit ter. Primò in Tanagram, Secundò in Corinthum, Tertio in Delum, ubi etiam uictoria potitus est. In Siciliam ter nauigauit. Primò uel insulam & aetnae miracula craterisque uideret. Agebat tunc quadragesimum aetatis annum: quo etiam tempore Dionysius Hermocratis filius uel eum loqueretur, impulit: ubi cum ille de tyrannide differeret, dicens non id praestare quod sibi soli esset uile, nisi uirtute etiam excelleret, offensum tyrannum atque iratum dixisse aiunt: Verba tua otiosorum senum sunt. At ille, Et tua, inquit, tyrannidem sapient. Ad haec indignatum tyrannum primò quidem illum necare uoluisset. Deinde uero à Dione & Aristomene obsecratum, id minime effecisse: uerum Polidi Lacedaemonio qui per id tempus legatus ad se uenerat, eum tradidisse uel uenundaretur. Eum ille in Aeginam adductum uendidit. Quo tempore & Charmander tanquam mortis reum accusauit. Sanè iuxta peruulgatam apud eos legem capitale erat, si quis Atheniensium eam insulam aduisset. Ceterum cum à quodam fuisset allegatum, disciplinae gratia eò philosophum ascendisse, legemque illam de hominibus, non de philosophis qui super homines sunt, loqui, absolutum eum dimisere: neque occidendum, sed uendendum decreuerunt. Aderat forte Anniceris Cyrenaeus, qui eum uiginti minis redemit: remisitque Athenas ad amicos. Polidem uero à Cabria superatum, & postmodum in Elice fuisse submersum fama est, daemónio sibi nunciante talia illum philosophi gratia perpeti. Non tamen queuit Dionysius. Verum cum cognouisset quae illi contigerant, scripsit Platonem, orans ne in se male dicta intorqueret. Ad quem ille scripsit, non tantum sibi à philosophia superesse otium, uel Dionysij meminisset. Obsecratoribus quibusdam Platonem à Dionysio derelictum obsecrantibus respondit, imò uero à Platone Dionysius est relictus. Secundò profectus est ad Dionysium iuniorem, ab eo & Dione philosophandi gratia accessit: hac quoque spe ductus, se suis consiliis effecturum, ut illic ex tyrannide, aut re publica fieret,

4 aut

Platonis vita.

aut regnum: visurumque quod iam diu vehementer optabat, gubernationem scilicet quandam maximè philosophicam, in qua vel gubernet philosophi, vel gubernatores philosophentur. Putabat enim ciuitates non aliter posse miseriam euitare. Id omne non vi aut dolo, sed philosophicis rationibus persuaso Dionisio fieri cupiebat. Sed quarto ferè mense post Platonis accessum, Dionysius falsis impulsus calumniis Dionem quasi tyrannidi insidiantem expulit. Platonem verò libenter amplectebatur. At Plato in patriam rediit. Tertio accessit Dionè Dionysio reconciliaturus: & ab utroque iterum atque iterum obsecratus, rogatus etiam ab Archyta. Tunc & Dionysius vitatam illi tristem obuiam misit, & Archedemum Pythagoricum oratorem, nobilisque permultos, & ipse quadrigis albis egredientem excepit. Postulauit Plato promissam Dionis restitutionem, atque insuper vrbem ac homines qui iuxta cõstitutam ab eo rempublicam viuerent. Idque ille quam pollicitus implere detrahit. Cum verò Plato palam Dionysium redargueret, quòd se felissimè fidem, tum sibi de Dionè restituendo, tum Theodoti suo de Heraclide seruando: in sensum deinde habuit Dionysium: unde in summo vivebat periculo, ne à militibus interiret. Sed Architas Tarentinus Salmisicum misit ad Dionysium oratorem vna cum nauì, rogans vt Platonem dimitteret. Ille eum dimisit, ac præbuit commatum: Plato in patriam rediit. Dionysius paulò post à Dionè ciuibusque pulsus tyrannide, criminis in philosophum commissi poenas dedit. Plato miro quodam honore exceptus est in patria. Ibi que ad Rempublicam accessus accedere noluit: quia plebs malis se moribus affecerat.

Quibus Plato leges dedit.

Fertur Arcadas & Thebanos condita ciuitate honestæ magnitudinis, rogasse illum, vt eam rempublicam institueret. Verum illum cum eos intellexisset, equalitatem sectari nolle, profectum non esse: Syracusanis verò expulso tyranno leges dedit: & Cretentibus Magnesia nuper condita siue instaurata ciuitate, scripsit leges duodecim in libros digestas. Misit ex familiaribus suis Atystonymum ad Arcadas legibus instituentibus, ad Ilios Phormionem, ad Pyteos Meledimum.

Continentia, grauitas, comitas Platonis.

Vixit autem cælebs & sobrius admodum, & vt Aurelius Augustinus perhibet, castus. Vnde & in senio sacra nature fecisse dicitur, vt se apud vulgus à crimine sterilitatis absolueret. Iuuenis ad eum verecundus, ad eum compositus fuit, vt nunquam ridere, nisi modicè, depræhensus sit. Iratum verò vidit nemo. Vnde apud Platonem educatus puer cum ad parentes reuersus vociferantem videret patrem, nunquam, inquit, hoc apud Platonem vidi. Semel tantum clam subiratus est puero grauitur delinquenti. Sed Xenocrati inquit, Cædetur hunc puerum. Ego enim quia iratus sum, nequeo. Edebat quolibet die aut semel tantum, aut bis, parcissimè. Dormiebat solus. Contrariam vitam multum vituperabat. Ad amicos adolecentem quemadmodum & Socrates suus videbatur

paulò prior, verum uterque tam ratione continens, quam sensu procliuus. Quam diuine isti amauerunt, & quo pacto quæ de amore locuti sunt, exponantur, satis in libro de amore tractauimus. Optabat memoriam sui vel in libris, vel in amicis relinquere. Et si melancholicus erat, profundissimique ingenij, vt scribit Aristoteles, iocis tamen plurimis utebatur, atque Xenocratem & Dionem seueriores sapientissimè admonebat, vt Gratiis sacra facerent, quo iucundiores gratiorisque redderentur. Platonis autem grauitati comitas erat admixta.

Discipuli Platonis præcipui.

Discipuli eius fuere, Speusippus Atheniensis, Xenocrates Calcedonius, Aristoteles Stagiritis, Philippus Opuntius, Hestæus Perinthius, Dio Syracusanus, Amycles Heraclæotes, Eraclitus & Coriscus Sceptrij, Timolaus Cyziæcus, Hebion Lampascenus, Pitichon & Heraclides Enij, Hippothales & Calippus Atheniensis, Demetrius Amphipolites, Heraclides Ponticus, & ceteros alij: & cum his mulieres duæ, Lasthenia Mantinea, & Axiothea Phylæa: que virili utebantur veste. Theophrastum item illius fuisse auditorem ferunt, & Hypsidem oratorem. Chamæleon & Licurgum, & Demophilum quoque fuisse ipsius studiosum, Mnestratum Vellibulo Academiæ inscriptum erat, Nemo huc geometriæ expertus ingreditur. Quod quidem non solum de linearum, sed etiam de affectuum debita mensura volebat intelligi.

LIBRI QVOS SCRIPSIT

PLATO, AC A POSTERIS IN
quæritates nouem
collecti.

PRIMA QUATERNITAS.

Eutyphro: vel de sanctitate.
Apologia Socratis: id est defensio.
Crito: vel de eo quod is egit in carcere cum Socrate: vel de agendo.
Phædo: vel de animi immortalitate, vel de anima.
SECVNDA.
Cratylus: vel de recta nominum ratione.
Theætetus: vel de scientia.
Sophista: vel de ente.
Ciuiilis: vel de regno.

TERTIA.

Parmenides: vel de vno omnium principio, & de deis.
Philebus: vel de summo bono, vel de voluptate.
Conuiuium: vel de amore.
Phædrus: vel de pulchro.

QUARTA.

Alcibiades primus: vel de natura hominis.
Alcibiades secundus: vel de voto.
Hipparchus: vel de studio lucrandi: vel de lucri cupiditate.
Amatores: vel de philosophia.

QUINTA.

Theages: vel de sapientia.
Charmides: vel de temperantia.

Laches

Platonis vita.

Laches: vel de fortitudine.
Lyfius: vel de amicitia.

SEXTA.

Euthydemus: vel litigiosus.
Protagoras: vel de moribus sapientiæ professorum.
Gorgias: vel de rhetorica.
Meno: vel de virtute.

SEPTIMA.

Hippias maior: vel de pulchro, vel de honesto.
Hippias minor: vel de mendacio.
Iouis de furore poetico, vel de Iliade.
Menexenus: vel de Attica antiquitate, vel Epitaphius.

OCTAVA.

Clitopho: vel exhortatorius,
De Republica libri decem: vel de iusto.
Thimæus: vel de mundi natura.
Critias: vel Atlanticus: vel de Atlântica antiquitate.

NONA.

Minos: vel de lege.
De legibus libri duodecim.
Epinomis: id est, legù appendix, vel philosophus.
Epistole duodecim.

Hos omnes Platonis libros ipsi è Græca lingua translatus in Latinam. Tres verò sunt Platoniorum species dialogorum. Aut enim sophistas confutat, aut adolecentes adhortatur, aut docet adultos. Quæ in epistolis, vel in libris de legibus, & Epinomi Plato ipse suo dicit ore, certissima vult haberi. Quæ verò in cæteris libris, Socratis, Timæi, Parmenidis, Zenonis ore disputat, verissima.

Eloquentia, sapientia, auctoritasque Platonis.

Stylus Platonis, vt ait Aristoteles, medius inter solutam orationem & carmen fuit, suauitas & copia tanta, vt Cicero Platonem & intelligendi & dicendi grauissimum autorem fuisse dixerit. Adiecit, Si Iupiter humana lingua loqui voluisset, non alia quam Platonis lingua fuisse locuturum. Doctrina verò tanta in eo, vt cum ante illum omnes inter Græcos illustres, ad externas gentes sapientiæ gratia peregrinati fuissent, post Platonis tempora cæteræ nationes Athenas confluerint: & Aristoteles tam miro ingenio præditus, ac nouè hæresis audissimus, cum Platonem iam penè adultus adisset, viginti eum continuos annos audiuerit. Adde quod prius quam audiret Platonem, iam literis prouectus erat. Deinde Platonem solum habuit præceptorem. Mitto quod à Cicerone scribitur, Malo cum Platone errare, quam cum cæteris rectè sentire. Præterea quòd vna cum Panæzio illum appellat Homerum philosophorum. Mitto illud Quintiliani, Quis dubitet Platonem esse præcipuum, vel acuminè differendi, vel eloquendi facundia diuina quadam & Homericæ? Multum enim illius oratio supra profam orationem, & quam pedestrem Græci vocant, surgit: vt mihi non humano ingenio, sed Delphico quodam oraculo videatur infusus. Diuina quadam sapientia & probitate mirabilem auctoritatem etiam in patria, quod rarissimè fieri solet, sibi comparauit.

se videtur. Reuersus ex Sicilia Plato, cum ad magnificentissimam illam Olympiorum celebritatem quasi quandam orbis terrarum conuentum peruenisset, tam letis cunctorum occuribus exceptus est. vt è celo Deus ad mortales demissus videretur. Ludos deserti, Athletarum spectacula relinquere, Pugiles solos omitti cererens: & quod admirabilis est, qui tam longis terrarum mariisque tractibus, passèdorum oculorum animorumque & aliorum gratia ad Olympia venerant, omnis voluptatis obliuio Platonem adibat: Platonem intuebantur: in Platone perinde atque amoenissimo diuersorio conuiescebant. Cum tragœdiam quis referret, nec quispiam præter Platonem adesset, obiectantibus quibusdam dedecori esse illi quòd nemo præter vnum adesset, respondit ille: Et hic vnus plus est, quam Atheniensis populus.

Charitas, magnanimitas, sanctimonique Platonis.

Quam magno & constanti animo, præsertim in amicorum causa furci, declarant eius epistole. Tyrannum sæpe quòd iniuste gubernaret, quòd ve amicos falleret, etiam præsentibus testibus audacter redarguebat, tantum aberat vt illi assentiret. Mitto minutiora illa, quale illud est quod iusserat Dionysius in conuiuium, vt singuli purpura induti saltarent, saltauit protinus Aristippus: Plato verò noluit: dicens non conuenire philosopho muliebria, & contemptus tyranni, Dionisque defensio. Præterea Cabrix fortissimo duci Crobylus accusator improbus diem dixerat, & capitis iudicium intentauerat. Quocirca cum à reliquis desitutus ciuibus metu periculi in arcem ascenderet, solus Plato auxilium præstatorum semper illi adfuit. Cum verò calumniator Crobylus, vt eum à patrocinio deterreret, minitans dixisset: Aliis defensionem præstatorum aduentas, ignorans quòd te quoque Socratis venenum expectat. Ipse respondit: Olim Crobyle, cum patriæ dignitati militabam, in tolerandis periculis haud segnus eram: nunc pro officio, & amici salute licet ferrum ac venena mineris & ignem, nullum reuso discrimen. Cum Socrates carcere iniustissimè inclusus esset, Plato pecunias congregauit, vt redimeret innocentem. Et dum iudicium agebatur, ascendens in suggestum, sic cepit orare: Cum minor natu sim viri Atheniensis his omnibus qui tribunal ascenderunt. Verum tyrannici iudices veriti, ne auctoritate & eloquentia sua omnes moueret, interpellauerunt repente, reclamauerunt, descendere. Plato domum abiit. Nam quantum illi malæ mentis morbo, tantum hic tunc morbo corporis laborabat. Socratis verò persecutores poenas paulò post dederunt. Cum ex condiscipulis quidam instigaretur inuidia, Xenocratem ad eum Platoni gratum ademptumque esse, vt in eum conflaret inimicitias, multa in Platonem Xenocratis maledicta renunciauit. Plato medio sermone criminationem respiciens, obaudit. Instat obrektor, vultus seueritate crimen affirmans. Denique deos omnes, ac deas obtestanti, Plato vt ab eius sese pertinacia solueret, esto inquit. Sed ea Xenocrates fide ac grauitate pollet: vt nisi sic expedire iudicasset,

Platonis vita.

dicasset, dicturus ea nunquam fuisset. Grauitatem magnanimitatemque Platonis imitatum fuisse Xenocratem dilectum eius discipulum, testis est vita Xenocratis apud Diogenem, quae quidem est fortitudinis & sanctitatis exemplar. Imitatum quoque fuisse Dionem, Plutarchus est testis. Praeterea Philiscus Lycurgi oratoris vitam describens: Magnus vir, inquit, fuit Lycurgus, multaque sunt ab eo gesta praecleara, quae facere nemo potuisset qui non fuisset Platonis auditor. Demosthenes cum Antipatrum fugeret, Archix blandis verbis se ei vitam seruaturum pollicenti, Abiit, inquit, ut viuere turpiter malim quam honeste mori, postquam Xenocratem & Platonem de immortalitate animi differentes audiui. Idem scribens ad Heracleodorum quendam condiscipulum suum, atque eum reprehendens, quod postquam Platonem audierat, negligenter bonas artes, & vitam parum honeste duceret. Nonne, inquit, erubescis ea negligere, quae a Platone accepti? Dionysius ad Speusippum scribens ait: Plato quidem gratis sua limina terentes docebat. Tu vero tributa exigis, & a volentibus ac nolentibus accipis. Laertius quoque carpit eundem, quod non sicut Xenocrates Platonis castitatem & fortitudinem, mansuetudinemque fuerit imitatus. Illud vero de fortitudine Xenocratis tacere non possum, quod cum Plotinus Dionysius diceret, Caput tibi quisquam tollit: Xenocrates qui aderat, inquit, Nemo istud prius quam meum hoc abscindere.

Sententiae & prouerbia Platonis.

DE Aristotele & Xenocrate haec Plato dicebat, Huius qualem equum, qualisquae asinum iungendos assumpsi: Aristoteles quidem freno indigeret: Xenocrates vero calcarius. Erat inter discipulos eius laetus nimium, & curandae cutis studiosissimus adolescens, quem Plato rogauit: Quousque tibi carcerem ad discipularem perges? Quoties hominem amore irretitum videret, ille aiebat, Proprio in corpore mortuus est, viuunt in alieno. Addebat, Qui se ipse alterius gratia deseruerit, omnium esse miserimum: quippe qui neque se possideat vlcetius, neque alterum. Platonis quidam familiaris vir doctus, cum orabat ut sibi aures pauperis accommodaret libellum à se editum lecturo. Rogatus subinde à Platone, quae libri esset inscriptio, respondit, Contradicendum non esse. Cui Plato: Cur igitur ipse hoc facit? Cur contradicentibus contradicis? Cur me consulis, si tibi prohibes contradicere? Leo cuius potens in caetu carpebatur, quod magnas & immodestas in senatu vociferationes habuerat, Plato, hoc ipsum, inquit, est verè leonem esse. Diogeni Cynico dicenti, quod humana quidem ista videret, ideas verò nequaquam: Cui mirum inquit? Oculos enim quibus ista videntur habes & veris, mente verò non veris, qua sola illae cenuntur. Mirantibus discipulis, quod Xenocrates in omni vita severus, nescio quid risu excipientium dixisset: Quid inquit, miramini inter spinas aliquando rosas & lilia nasci? Ad iuuenes crebro dicere solebat: Otio labores antepone, nisi forte rubiginem splendori praestare putatis. Iuuentutem ad beatam vitam hac ratione sapientissime incendebat, Contrariam virtutis ac voluptatis naturam animaduertite. Huius enim momentaneam dul-

cedinem subita poenitentia sequitur, dolorque perpetuus: illius autem breues labores, aeterna voluptas. Cum vidisset quendam alea ludentem, arguit: & cum ille, quam parua reprehendis diceret, Plato respondit: At non est paruum confuetudo. Ebris & iratis consulere solitus erat, sese ut in speculo studiosè intuerentur, ab eiusmodi stultitiam feditate discituros. Ebrietatem & somnum valde detestabatur. Aiebat plurimum referre ad pueritiam educandam ut honestis solum gaudere pueri assuescerent. Alioquin voluptatem dicebat esse esse malorum. Addebat sanitatem animi veram esse philosophiam, ceteras vero facultates non tam philosophiam quam ornamenta videri. Nihil sane menti suauius esse quam vera dicere & audire. Veritate enim nihil est melius vel durabilius. Interrogantibus quibusdam, quare nam possessionum genera filios essent potissimum comparanda: Ea dixit, quae non grandinem, non hominum vim, non ipsum denique Iouem extimeferent. Demodoco de filij eruditione consulenti, qualis inquit, in arbutulis plantandis dirigendisque, talis & in filiis gignendis, & institutis cura esse debet. Hic labor, illic voluptas. Cauendum autem ne in hoc sopiti, in illo plus quam vigiles videamur. Philedono cuiquam Platonem carpeniti, quod non minus in discendo quam in docendo studiosus ac sedulus esset, & quoad discipulum esse vellet interroganti: quoad inquit meliorem ac peritorem esse me non poenitentia. Interrogatus quidnam inter peritum imperitumque interesset: quod inter medicum aegrotumque, respondit. Principibus nullum praestantius praediorum genus esse dicebat, quam eorum familiaritates hominum, qui cauponari nescirent. Principi non aliter necessariam esse sapientiam, quam corpori animam. Beatissimas fore res publicas, si aut philosophi dominentur, aut saltem qui gubernant, diuina quadam forte philosophentur. Nihil enim pessilentius esse potest, & audacia, quam ignorantia comitetur. Tales quoque subditos esse solere, quales principes videantur. Magistratum non proprium bonum, sed publicum cogitandum: non partem solum ciuitatis quandam, sed totam esse curandam.

Quantum Plato neglexit humana, quantum diuina dilexit.

REPetebat quotidie sola aeterna esse vera: temporalia verò verisimilia. Dormire in corpore animum. Et quae sensus appetit aut timet, nihil aliud esse quam somnia. Itaque haec omnia penitus contemnenda. Et ut mala videntur quibus plenus est mundus, ad aeterna confugiendum: aliter enim deuitari non posse. Ipse quoque quae praecipiebatur, impleuit. Nam cum & hereditario quodam iure & ciuium fauore princeps in Republica esset futurus, omnem proflus ciuilem respectu dignitatem. Cum patrimonio ditissimus esset, fratris largitus est omnia, praeter suburbanum praedium, quam academiā nominabant. hoc solum contentus vixit. Et si praceptor amicis quae principum exitit, diuitias tamen ab his nullas accepit. Solebat rex Dionysius dicere, Aristippus semper pecunias petiit, Plato semper libros. Adde quod neque vxorem duxit, neque vixit in vrbe, ab omnibus liber, soli ser-

uicis

Platonis vita.

uicis veritati. Vnde diuus Hieronymus inquit: Plato Aegyptum & Architam Tarentinum eamque oram Italiae quae quoddam magna Graecia vocabatur, laboriosissime peragravit, ut qui Athenis magister erat & potens, cuiusque doctrinam Academia gymnasia personabant, fieret peregrinus atque discipulus, malens aliena verecundè discere, quam sua impudenter ingerere. Denique cum literas quasi toto ut se fugientes persequitur, captus à piratis & venundatus, etiam evitiano crudelissimo paruit captiuus, vinculis est seruus: tamen quia philosophus, maior e mente se fuit. Haec Hieronymus.

Pietas & gratitudo Platonis.

GRatus Deo fuit, à quo principium cogitandi, dicendi, agendi, omnibus in rebus, & faciendū dicebat esse, & ipse semper esticiebat. Praeterea Deo gratias agebat quotidie quod homo natus esset, non brutum: quod Graecus, non Barbarus: quod temporibus Socratis. Quam gratas praceptoribus fuerit, omnibusque amicis, testimonio sunt eius dialogi. In quibus mirifice eos omnes honorat, atque Socrati libros suos attribuit. Nō solum enim illum in omnibus penè dialogis disputantem inducit, sed etiam omnia à se composita, scribit non sua, sed Socratis esse.

Quae Plato affirmavit.

IN his quae sensibus subiacent, partes Heracliti tuebatur. Porro in his quae ad intelligentiam pertinent, Pythagorae maxime acquiescebat. In rebus autem ciuilibus Socratem suum amplectebatur. Quae vbiue affueverat, haec sunt: Deum omnibus providere. Animas hominum immortales esse. Bonorum praemia, malorum supplicia fore. Augustinus in libro contra Academicos inquit, Christi autoritatem omnibus anteponebam. Si autem rationibus agendum sit, apud Platonicos reperire se dicit, quod sacris Christianorum literis non repugnet. Idem Dionysius Areopagita significauit. Eusebius postea & Cyrillus laetius declarauerunt. Hinc Augustinus in libro De vera religione: Platonica inquit, paucis mutatis Christiani fierent. Atque in confessionibus narrat se proxiimum Ioannis Evangelistae ferme totum apud Platonicos reperisse. Propterea in secundo de Ciuitate Dei inquit: Labeo Theologus apud gentiles Platonem inter fidei deos connumerandum putauit, sicut Herculeum atque Romulum: fidei deos autem heroibus anteponebat, sed utrosque inter numina collocat. Verum tamen istum quem appellat fidei deum, non heroibus tantum, verum etiam diis ipsis praefendum esse nō dubito. Vnde inquit se Platonicos ante alios elegisse, quia de rebus diuinis atque humanis rectius admodum quam ceteri philosophi senserint. Quod & Marcus Varro antea iudicauerat, & Apuleius Platonem, non tantum heroicis superiorum fecit, sed diis equallem, quia videlicet diuinis rerum adyta penetrauerit. Plato tanta fuit modestia praeditus, ut cum mirabilem sibi autoritatem ante alios comparauisset, tamen interrogatus à quodam, quatenus praecipis suis parandum foret, responderit:

quoad in terris appareat sacerdoti aliquis, qui solum omnibus veritatis aperiat, quem denique sequantur omnes. Addidit, nihil sibi, sed diuino tantum lumine reperisse. Quid autem in philosophia senserit, satis in libro de Amore, & Theologia nostra tractauimus.

Religiosus Platonis in patriam caelestem & laudes.

NATALI suo decessit, & annum vni atque octoginta impleuit, sine vlla dubitatione. Ideo magi, qui tunc Athenis erant, Platonem immolauerunt, amplius fuisse sortis quam humanitati, quia consummasset numerum peremissimum, quē nouem nouis multiplicata conficiunt. Atque quod mirum est, adhuc in ea urbe, & in eo ipso die scribebat de quo Cicero inquit: Est etiā querē, & parē, atque eleganter adae uratis placida ac leuis senectus, qualē accepimus Platonis, qui vno & octogesimo anno scribens mortuus est. Seneca etiā affirmat id Platonem sobrietatis & diligentis beneficii contigisse. Alij inter scribendum, alij discumbentem in nuptiis remotis dapibus inter discendum ad superos rediisse. Aristoteles in templo aram Platonis statuique fecerat hoc epigrammate Aram Aristoteles hic Platonem dicat, viro quem nefas est à malis laudari. Adde Aristoteles,

Qui solus vita, doctrina, moribus, ore
Admonuit cunctos, & monumenta dedit,
Vt virtute quae sit ducere vitam:
Nulla ferent saltem secula sacra virum.

Adiunxerunt & sapientes alij in Platonis laudes carmina plurima: sed praecipua epigrammata tria. Primi haec est sententia: Temperantia, iustitiaque excellunt omnibus: tantum verò sapientia superauerit, ut omnem proflus inuidiam superauerit. Secundi hic est sensus: Plato in deorum numerum est translatus. Longinquae hunc nationes honorant: qui diuinam vitam ipse nouit, alijque monstrauit. Tertij sententia est huiusmodi: Phaebeus Aesculapium genuit & Platonem, ut ille corporibus, hic animis mederetur. Praeterea Mithridates Persarum rex Platonis statuiam in Academia ita locuit inscriptam: Mithridates Rhodobati filius Perfes Mosis imaginē Platonis dicat, Syllanionis opus. Ex his omnibus id Plato est consequentius, ut Graeci Aristotelem quidem daemionem: Platonem verò diuina cognominauerint. Quia videlicet ille & vita humanus & scientia naturalis maxime fuerit, hic autem scientia simul & vita sese potissimum ad diuinum contulerit.

Apologia de moribus Platonis.

FINem iam vobis imponam, si pauca quaedam rursus addidero. Sunt plebei quidam verificatores, qui immerito poetarū sibi nomē usurpant. Hanc tam morum dissimilitudine quam malignitate inuidiae prouocati, in optimum quemque impudentissimè ludunt. Quibus summa quaedam licentia in bonos potius quam in malos cōceditur. Tales igitur olim poetici, diuinum Platonem à Graecis, Apollinis filium, & Socratem ab Apolline Graecorum sapientissimum iudicatum, mordere

not

Platonis vita.

non dubitarunt. Quorum impietatem Laetius Diogenes summo opere detestatur. Atque ut ipse declarat, ridicula etiam comicorum conuitia Aristippus auxit Cyrenensis, homo pessimus, & optimi cuiusque suorum temporum aduersarius, qui sicut alios plerisque modestissimos doctissimosque sic quaedam historia vituperauit, sic etiam Socratem praeceptorem, & condiscipulos suos Xenophontem atque Platonem: sinxitque horum nomine carmina quaedam in scorta puerisque laiciua, videlicet ut falso magnorum philosophorum exemplo liberiores ipse peccandi licentiam nancisceretur. Verum Aristoteles, cui veritas magis quam Plato fuit amica, tam fallas in virum sanctum calumnias sustinere non potuit. Nam in ele-

gis ad Eudemum, illa de Platone quae in superioribus diximus, cecinit: id illi maxime tribuens, vt prophani non solum vituperare Platonem vilo pacto non debeant: verum etiam sub praetextu laudis sancta illius nomina ore prophano nominare non audeant. Neque Elegia contentus fuit: sed etiam, vt tradit Olympiodorus, praeclearam orationem de Platone laude composuit. Obmutescant igitur apud superos inferni canes, atque apud inferos latratu Cerberum comitentur. Nos autem Platonis vitam & sapientiam iudicio sapientum approbatissimam veneremus, atque vna cum Apuleio Madaurensi liberè proclamemus: Nos Platonica familia nihil nouimus nisi festum, laetum, caeleste, supernum.

M. FICINVS AD LECTOREM.

Ne foris putes amice lector, tantum opus editioni temere, scito cum iam composuisssem, antequam ederem, me censoris huic operi plures adhibuisse: Demetrium Atheniensem, non minus philosophia & eloquio quam genere Atticum, Gorgium Antonium Vesputium, Ioannem Baptistam Boninsegniū, Florentinos, viros Latine Linguae Graecaeque peritissimos. Vsum praeterea acerrimo Angeli Politiani doctissimi viri iudicio: vsum quoque consilio Christophori Landini, & Bartholomaei Scaleztorum clarissimorum.

ΕΙΣ ΠΛΑΤΟΝΑ.

Φίλος ὄντων βροτῶν ἀειδασταί, ἰδί πλάτωνα.
Τὸν ἰδί τῶν ἀρχαίων ἐστὶ τῶν σοφῶν εὐδοκίμων.
ἀειδέμενος ὡς μέγιστον, πάλαι ἐκείνην ἡ πόλις ἀπέθετο.
Ἐκείνη, ἡ ἀπὸ τῆς Κλεισθέως ἐκείνη πόλις.

Α Λ Λ Ο.

Σωφροσύνη σφραγισμένη ὀνειροῦ ἴδεν τὴν διακρίσιν
Ἐκείνη δὲ ἡ κέρτατος δὴ ἐστὶν ἐκείνη.
ἰδί τῆς ἐκείνου σοφίας μέγιστον ἔχει τὴν ἐπιπέδον.
Ὅθεν ἔχει τὴν ἀριστοτέλην φθόνος ὡς ἴππεται.

Α Λ Λ Ο.

Ἰδί τῶν ἀρχαίων ἐστὶ τῶν σοφῶν εὐδοκίμων.
Ἐκείνη δὲ ἡ κέρτατος δὴ ἐστὶν ἐκείνη.
ἰδί τῆς ἐκείνου σοφίας μέγιστον ἔχει τὴν ἐπιπέδον.
Ὅθεν ἔχει τὴν ἀριστοτέλην φθόνος ὡς ἴππεται.

PLATONIS HIPPARCHVS, VEL, DE LVCRICVPIDITATE, VEL, STUDIO

LVCRANDI.

Marfilij Ficinij Argumentum.

Propositum Platonis in Hipparcho est, docere nos, omnes homines bonum appetere, cum illi qui propter auaritiam aberrare videntur, bonum appetant. Illi siquidem lucricupidi sunt: lucrum vtile est, vtile vero bonum: bonum itaque cupiant. Etenim lucrum damno contrarium: damnus vero cum obit, malum: malo igitur contrarium. Contrarium malo bonum: lucrum ergo bonum. Quamobrem cum illi etiam, qui ab appetitu boni declinare videntur, bonum cupiant, nihil iam repugnat quominus omnes homines bonum appetant. Bonum autem duplex: vnum finis, ad finem alterum. Illud propter seipsum, hoc propter aliud expectandum. Illius appetitu voluntas, huius electio. Illud venerandum hoc vtile: illo fruimur, hoc tinur. Illius adeptio beatitudo, huius lucrum vocatur. Lucrum igitur est boni vtilis acquisitio: quod ad venerandi boni consecutione conducere potest. Quod vero ad hoc non coheret, nec ipsum vtile est: nec eius adeptio lucrum. Laudanda igitur lucricupiditas, quae omnibus natura inest: vituperanda autem opinio fallax, quae dum quod reuera vtile & lucrum est, ignorat, appetitum natura aduersa retorquet. Haec omnia Plato latent docet, diu Socrates definitiones falsas, quae Hipparchus de lucricupiditate refert, & inducens & ratiocinatio refellit. Vt ut autem Plato hac propositione, Omnes homines bonum appetunt, tanquam manifesta, ad concludendum quod omnes natura lucrum appetunt, quod ipse appetitio naturalis laudanda est. Haec autem est conclusio qua modo quaedam directo Socrates tribus argumentandi modis infert, id est, exemplo, inductione, ratiocinatione. Sed modo quodam conuerso ex omni hac disputatione per argumentationem a minori colligitur propositio nem illam maxime confirmata, Omnes scilicet homines bonum appetunt, quae huius libri finis vltimus est, cum primus finis sit ostendere, omnes lucricupidos esse, neque id esse vituperandum.

SOCRATES, HIPPARCHVS.



VIDNAM lucricupiditas est: & qui sunt lucricupidi? h. r. Mihi quidem videntur qui lucratum putat ex rebus nulla aestimatione dignis. s. o. c. Videntur tibi scire, quod nullus pretij sint, an ignorare? si nesciunt, ametes lucricupidos vocas. h. r. At non ametes voco, sed calidos atque improbos, & victos lucro, confictos nullius esse pretij, & quibus lucrum captant, & tamē lucranter per impudentia. s. o. c. Num huicemodi lucricupidum vocas? veluti si agricola plantans cognoscensque nullius pretij plantā esse, dignam tamen putet qua lucratur, talē in me vocas? h. r. Vnde cūquē Socrates, lucricupidus quaerendū censet. s. o. c. Ne ita temere verba effundas, veluti alicui ob acceptā iniuriam iratus: sed in me potius attentus responde, ac si a principio rursus interrogarem. Consentis lucricupidum cognoscere quanti sit vnde lucrandum putat? h. r. Consentio. s. o. c. Quis est qui circa plantarum dignitatem nouit, qua regione, quo tempore plantare dignum sit, vt & nos aliquid sapientium verborum, quibus elegantes isti caudicidi abundat, in medium afferamus? h. r. Agricola arbitror. s. o. c. Num digno lucro vocas aliud quam lucratum esse existimat? h. r. Id ipsum. s. o. c. Ne me conteris decipere virū iam senem, tu ad eū iuuenis, respondens, quemadmodum nunc, quae ipse minime sentis: sed

quā verisimē responde. Num agricolā verū cum iudices, qui quā indignam plantationē plantā scit, ex ea lucrandum putat? h. r. Non per louem. s. o. c. Equitem praeterea virum, si nouit nullius pretij pabulum quod equo praebet, an ignorat centes equū iri perditum? h. r. Nequaquam. s. o. c. Nō igitur putat ex huiusmodi pabulo vitiosū esse lucrum. h. r. Minime. s. o. c. Gubernatorē verō qui temone, ac velis nullius pretij nauem munerit, ignorat centes se damno affectura iri, & quē periculum venturū, ne & ipsa nauis & quēcūq; in nauī sunt, perdat? h. r. Non certe ignorat. s. o. c. Haud igitur putat se ex istiusmodi nullius pretij instrumentis lucraturum. h. r. Minime. s. o. c. Item bellū dū exercitū vilius armis nixū videns, num speret, dignūve putet ex his affectare lucrum? h. r. Minime. s. o. c. Eodem modo si tibicen tibiam, citrharē dū citrharā, sagittarius arcum, & vt breui complectar, artifex, & rei cuiuslibet peritus quisq; organa, ac reliquum apparatus nullius pretij habeat, putetne ex his aliquando se lucraturum? h. r. Non, vt apparet. s. o. c. Quos itaque lucricupidos nuncupas? neque enim eos quos supra retulimus, qui ē rebus nulla ratione dignis oportere lucrari videntur. At qui hoc modo mirande vir, quo tu vis, nullus hominū lucricupidus sit. h. r. At ego. s. o. c. Eos lucricupidos esse dicā, qui propter in explebilem auiditatem minima & vilissima quaeque, & nullius pretij mirum in modū situnt, & in his etiā lucrū quaerunt. s. o. Non tamen dū vir optime, nouit nullus ista pretij esse. Huc enim iam nos ipsos adagimus, vt impossibile fateamur. h. r. Mihi sanē videtur. s. o. c. Si non cognoscunt, ignorant igitur: opinantur tamen, quae nullius pretij sunt, multi scienda esse. h. r. Apparet. s. o. c. Lucricupidi nōne lucrū cupiunt? h. r. Profecto. s. o. c. Lucrū verō dicis damno contrarium? h. r. Est. s. o. c. Etenim bonū cuiquā damno affici? h. r. Nemini. s. o. c. Malū autē? h. r. Profus. s. o. c. Laeduntur itaq; damno homines? h. r. Laeduntur. s. o. c. Malum igitur damnum? h. r. Malum. s. o. Contrariū damno lucrū? h. r. Contrarium. s. o. c. Bonū inne igitur lucrum? h. r. Certe. s. o. c. Bonum igitur, amantes lucricupidos nūcupas? h. r. Videtur. s. o. c. Non infans quidem dū amice lucricupidos dicis. Sed tu ipse vtrum amas quod bonū est, an non amas? h. r. Amo equidem. s. o. c. An est bonum quicquam quod nō affectes, sed malum? h. r. Nō per louem. s. o. At aqua biliter omnia bona affectas. h. r. Omnia. s. o. c. Interroga insuper & me: an non ego quoque bona equidē amare me cōfitebor: sed praeter me ac te, nōne reliqui mortales omnes tibi quoque videtur amare bona, mala odifese? h. r. Videtur. s. o. c. Lucrum autem nōne bonum esse confessi sumus? h. r. Nempe. s. o. c. Omnes igitur lucricupidi videntur hoc modo: quod verō prius diximus, nullus lucricupidus esset. Vt igitur istorum rationum sequenda potius, ne erremus? h. r. Si quis dū Socrates, rectē lucricupidum de-

* Graecū locutionem tuam quam affertur notat